DE SPIRITUS SANCTI
ADVENTU
ORATIO
Habita in Sacello Pontificio
CORAM SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
CLEMENTE XI.
PONT. MAX.
IPSO PENTECOSTES DIE

A FRANCISCO DALLA CORTE BRIXIENSI
SEMINARII ROMANI CONVICTORE.



ROMÆ, MDCCXI.
Apud Cajetanum Zenobium Typographum, & Scalptorem SS. DOMINI Nostri, ante Seminarium Romanum.

SVPERIORVM PERMISSV.




CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO

FRANCISCUS DALLA CORTE
FELICITATEM.



BTINUIT jam usus, BEATISSIME PATER, *ut quæ coram Te habita esset* Oratio; *Tuo etiam Nomine inscriberetur. Quod si non modò coram Te habita; sed tota de Te esset Oratio; cui nam potiùs inscribenda foret, quam Tibi? Et tamen sic se res habet. Dum enim tria illa Ecclesiæ decora persequor, quæ sub Igneo Linguarum imbre præfigurari intelligebam, Sapientiam scilicet, Eloquentiam, & Charitatem; Video quàm opportunum iis omnibus, qui Te noverint, suspicandi locum fecerim, me non tam Eccle-*

Ecclesiæ sectari laudes, quàm Tuas. Id autem, aut Ecclesiæ felicitati, aut Divini Numinis beneficentiæ tribuendum esse, nemo non videt. Atque utinam felicia isthæc tempora, vel in longum protraheret, vel identidem recuderet Deus; quibus de Ecclesia Orator loqui non posset, quin loqui de Pontifice videretur! Hanc nobis interim felicitatem, BEATISSIME PATER, *non invide; sed potiùs sapientiâ illâ tuâ, qua humana, ac Divina compræhendis; perge populos Tibi è Cœlo commissos instruere: perge incredibili illâ Eloquentiæ Tuæ vi Ecclesiam frequenter alloqui: perge Charitatis Igne non Orthodoxam modò fovere fidem, sed venenatas etiam Hæresum stirpes exurere: perge demum ex hoc ipso Sanctitatis, & Religionis domicilio, veluti ex altero Sionis Cœnaculo, eos Pastores educere; qui Tibi, quàm simillimi futuri esse videantur. E quorum numero cum unus Brixiæ certò contigerit, qui succrescentem clanculum erroris luem diligentissimè perquisivit; inventam verò, ac penè natam oppressit; temperare mihi non possum, quin pro tanto Præsule, etiam Patriæ meæ nomine, Pastorum omnium Principi gratias referam immortales.*



ORATIO.



EI Eccleſiam, BEATISSIME PATER, quam Filio ſuo Sponſam tot antè Sæcula deſtinaverat Pater; quam, ubi venit plenitudo temporis, ſuo ſibi ſanguine acquiſiverat Filius; Increatus Patris, & Filii Amor hodiernâ die ſplendidé copioſèque dotavit. Hanc autem dotem quidnam aliud eſſe crediderim, quàm Patris Sapientiam, Eloquentiam Filii, Divini Spiritus Charitatem? quarum primam Flammæ ſplendor, alteram Linguarum forma, tertiam Ignis ardor expreſſit.

Et ſanè, quàm rude, quàmque, penè dixeram, ſublimium rerum impatiens, erat Apoſtolorum ingenium; ante quàm eorum menti Sapientiæ Lumen Divinus Ignis affun-

deret

deret. Humili loco natos, tenuiſque inter ſortis anguſtias enutritos, nec privatus diſcendi labor, nec ulla eruditio excoluerat: Naviculas in Mare propellere, retia reficere, piſcationis quæſtu vitam traducere, id tandem penè totus erat Apoſtolorum labor, & ſtudium. At poſtquam Iis Sionis in Domo Cœleſtis Flamma reſplenduit; tunc enim verò primis illis Eccleſiæ Paſtoribus, ſublimia quæque Divinitatis Arcana patuere: Tunc primò initum Eccleſiam inter, & Deum tam firmum, ratumque veritatis, ac ſapientiæ commercium; ut nec illa, quæ Deus dixit, ignoratura ſit unquam, nec, quæ illa definiit, reſciſſurus ſit Deus. Tunc demùm, quæ ſapientibus, atque prudentibus abſconderat Pater; ea parvulis revelavit: illis, inquam, parvulis, quos, ut fortia quæque confunderet; Eccleſiæ ſuæ fecit Conditores, & Principes.

Sed quoniam par erat; ut collatam à Patre Sapientiæ dotem Corporatus etiam Filius eloquentiæ acceſſione exaggeraret; hinc, quos Sponſi Pater Flammarum luce erudierat; eos Eccleſiæ Sponſus Linguarum pluviâ voluit eſſe diſertos. At quàm diſertos, Deus immortalis! eos eſſe oportebat, qui nec generis nobilitate

ſpecta-

ſpectabiles, nec Doctrinarum fama conſpicui, imò potiùs, & oris habitu, & cultu corporis deſpicabiles, in ipſo tamen Hebraicæ Religionis domicilio, tam felicitèr perorarent; Ut eorum Magiſter ab iis ipſis pro Deo haberetur, qui eum è Ligno ſuſpenderant, ab iis ſurrexiſſe crederetur, qui ſepelierant.

Eccleſiam inter, & Sinagogam id diſcriminis intereſt, ut altera inter fulgura, & tonitrus genita, timoris Legem in Sinai; altera, innoxias inter blandientium linguarum flammas nata, in Monte Sion Amoris Legem acceperit;Hinc mirum non eſt;illam ſi timidam, quodammodo, ac pudibundam (piger enim, & latebrarum amans eſt timor) mirum inquam non eſt; illam ſi Judeæ contentam angulo, anguſti adeo fines circumſcriberent: Hanc contra actuoſam ſemper,& vividam(anguſtiarum enim impatiens eſt amor) nulli fines,nulli limites coercerent. Ut igitur Dei Eccleſia in omnes quaquaverſum terræ partes ſe ſe protenderet;primos illos Fidei Tibicines amoris ſui Igne Divinus Spiritus inflammavit:Quo factum eſt, ut illos nec viarum pericula, nec interjecta Maria, non Regionum longinquitas, nec ignoti Barbararum Nationum mores,

non

non demum, aut Gentium minæ, aut Judæorum inſidiæ deterrerent; quò minùs inter ſe ſe terrarum Orbem partirentur, illumque penè totum ſudoribus fœcundarent, & ſanguine.

Oh naſcentis Eccleſiæ opulentiſſimam Dotem! Sapientia illa, quam hodiernus Ignis ſua luce deſignat, tenebras omnes Humani Generis diſpulit: Eloquentia illa, quam inſidentes capiti Apoſtolorum Linguæ præfigurant; Sinagogam totam, atque omnem ſuperſtitionem evertit; Charitas illa, quam labentium è Cœlo Flammarum ardor indigitat; obluctantibus fruſtrà hominum, ac Dœmonum fraudibus, in remotiſſimas quaſque mundi plagas, amoris legem invexit.

Faxit jam Deus, ut pinguem adeò opimamque Eccleſiæ dotem Ii qui Apoſtolorum ſunt loco, & quorum proindè Fidei, ac cuſtodiæ eam commendatam Deus eſſe voluit; non modò ſartam tectam; imò etiam novis ſemper acceſſionibus auctam, in ipſa Sæculi conſummatione, Eccleſiæ Sponſo reſtituant.